

/ Illustris Domine. Tradidi statim litteras Matris Cardinalis Borgiae ipsi Illustrissimo Cardinali, et revocavi illi in memoriam conditionem vestram et tribulationem, quam patitur ob fidem catholicam. Promisit se multa facturum, praesertim ob commendationem parentis suae. Domino Datario vix audeo aliquid dicere, quia quotidie commendo illi varias personas, et raro, aut numquam exaudior. Si D. Vestra serio confidat in Domino, et toto cordis affectu Deum oret, sine ulla dubitatione exaudietur. Facile est coram oculis Dei subito honestare pauperem, inquit Ecclesiasticus, et per honestare, ditare significat, ut ex contextu aperte colligitur. Si non semper facit, non est causa, quia negligat preces suorum, sed quia novit ipse melius, quam nos ipsi, quid nobis expediat. Verissima est sententia Davidis, non vidi justum derelictum, nec semen ejus quaerens panem: respicite volatilia coeli quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Deus pascit illa; nonne vos pluris estis illis? Et si foenum, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis nos modicae fidei? Ego certe non possum non valde mirari, quod multi sint, qui, quasi Christo non crederent, ita solícite anxiantur, ut fere desperare videantur. Ignoscat mihi D. Vestra, quia cum ego re vera non possim omnibus prodesse facultatibus meis, quae sunt exiguae, et in multos dividuntur, volo tamen, saltem exhortatione prodesse. His valeat D. Vestra mei memor in orationibus suis. Romae die 14 Octobris 1617.